

rum hominum coetum, ut vix aliqua veræ Ecclesiæ, aut religionis, in eodem vestigia sint super. Et tamen etiam in corruptissimo coetu, per singularem, ac prope extraordinariam, Numinis gratiam remanere possunt non pauci, qui se ab ingravescentibus doctrinæ corruptelis longe removeant, iisque vel voce, vel animo saltem contradicant, Deo autem vera fiducia tenacius adhæreant, charitate, patientiaque propius jungant, denique cum in vectis in Ecclesiam erroribus scandalisque nihil commercii habeant. Hi nobis *invisibilis* Ecclesia appellantur, non quod ratione *sui*, & *ut homines*, videri non possint, sed quod ratione *internæ cum Deo per fidem*, & *cum proximo per charitatem communionis*, nemini, præterquam Deo καρδιογνώστη, sunt cogniti. Ita 7000. Israelitarum, qui tempore Iorami non inflexerant genua sua coram Baal, sed Deo vero sanctissima religione constanter adhæserant, quæ interius cum Deo, & intra se vinculum, non erant notabiles, unde & Elias Propheta se solum ex omni fervorum Dei multitudine superstitem esse arbitrabatur. Sed falsus erat. Etsi enim ab *hominibus* observari coetus ille non poterat, poterat tamen a *Deo*, qui etiam intima cordium penetralia, & abditos animorum recessus, perscrutatur, ac inspicit. Fieri ergo potest, ut Ecclesia externa visibilis multis rationibus sit corrupta, & tamen in eodem illo corrupto coetu sint multi, qui vera fide adhæreant Domino, etsi fides eorum aliorum sensus & oculos non incurrat, quo pacto qui *visibiles* sunt & manent qua *homines*, *invisibiles* judicantur, qua sunt *fideles*. Sic etiam tempore nati Christi totus Iudæorum coetus, quod supra ostendimus, foedisime erat corruptus, supererant tamen non pauci, qui cum *Zacharia*, *Simeone*, *Hanna*, & aliis, seriis gemitibus, expectabant Messiam, ejusque sibi merita vera fiducia applica-

plica-